



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Dubium III. An Clerici spoliati, ab alio conventi in judicio, teneantur illi  
respondere ante restitutionem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

non gauderet hoc interdicto, contra communem, quod ei per exceptionem opponi posset possessionis acquisitæ vitium. Ad 4. Resp. legem illam ad intentum non aptè produci; solum enim dicitur, in casu, quo Dominus rem suam, absque vitio, & violentia consequitur, non esse ex bona fide, quod Dominus tunc rem suam restituat prædoni; nam casus, de quo hic agimus, est, cum ad aliquem res venit per vim. Sed nec favet c. ad decimas; nam ibi spoliatis non negatur simpliciter & absolute restitutio; sed solum, dum evidenter probent possessionem decimarum in aliena Parochia legitime acquisitam, eo, quod præsumptio contra illos militet in oppositum. Ad 6. Resp. in eo nihil præsertim agi de spoliatione; sed solum dici, quod si filius beneficium in Ecclesia, ubi ejus parens prius ministravit, contra canones possidet, ipsum ab eo esse removendum, quod nihil facit ad intentum controversiæ præsentis.

## DUBIUM III.

An Clerici spoliati, ab alio conventi in judicio, teneantur illi respondere ante restitutionem?

1139. **A**mplissimum in hoc puncto privilegium Stephanus Papa V. Clericis spoliatis constituit, prout habetur in c. Oportet. 3. q. 2. ibi: Oportet, ut primum vos tam de invasis civitatibus, & Monasteriis, & mansis, quam de reliquis generaliter rebus redinvestiri faciatis (ubi Rubrica: ante litem contestatam violentè ablata restituantur) causam ibidem reddat Pontifex: quia nec undi contendere, nec inermes inimicis nos debemus opponere. Idem constituit Felix Papa. l. c. tamdiu 3. q. 2. ibi: tamdiu in sede propria pacifice, & potestativè cuncta disponens resideat, quamdiu expulsus, vel exspoliatus suis carere visus est rebus; & c. Si Episcopus, ead. c. & q. ibi: si Episcopus suis fuerit, aut Ecclesia sibi commissæ rebus exspoliatus, aut (quod ablit, quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus) à sede propria ejectus, in deventione aliqua à suis ovibus fuerit sequestratus, tunc canonicè ante in pristinum Tom. II.

statum restituatur, cum omni privilegio sui honoris, & sua omnia, quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerant, legibus redintegrentur. Non enim convocari poterit, vel præjudicari, nisi ipse pro sua necessitate (minimè tamen judicandus) advenire sponte elegerit. Nullatenus ergo à quoquam respondere cogatur, antequam integerrimè omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili concilio, legati ordine, redintegrentur.

Quoniam verò interdum aliqui Clerici hoc tam amplo privilegio abusi sunt, allegando falsò, se spoliatos ab eo, à quo conveniebantur; consequenter prætendendo, se non teneti eis respondere, dum restituti sint (ut testatur Innocentius IV. in c. frequens 1. de restitut. spoliat. in 6. ibi: frequens, & assidua nos querela circumstrepit, quod spoliationis exceptio nunquam in iudiciis calumniosè proposita, causas Ecclesiasticas impedit, & perturbat; dum enim exceptioni insistitur, appellationes interponi contingit, & sic intermittitur, & plerumquè perimitur causæ cognitio principalis; & propterea nos, qui voluntarios labores appetimus, ut quietem aliis præparemus, finem litibus cupientes imponi) ideo prædicto privilegio moderationem aliquam adhibuit, & privilegium restrinxit, ut Clericis non liceret hac exceptione spoliationis uti, nisi adversus ipsum spoliatorem; quia tamen dubitatum est postea, an Clericus ab alio prius spoliatus, & deinde eundem in alia re spoliatus, si à spoliato conveniatur interdicto, unde vi, possit vi dicti privilegii uti exceptione, quod ipse prius fuerit ab isto spoliatus, & sic non teneatur respondere, donec ipse prius restituatur; affirmativè respondit Gregorius IX. c. fin. de ordine cognitionum, ibi: quanquam ab agendo spoliatione ab eis (Clericis) opposita repellatur; ita interpretatur Fachineus lib. 8. c. 11. sed de hoc ex professo dicemus iis. seq.

AS) (O) (S)